

Albertus Lucrētiō amīcō suō s.p.d.

Sī valēs, benē est, ego valeō. Hodiē a.d. XVI Kal. Oct. epistulam tuam accēpī. Litterae tuae mē dēlectāvērunt. Ego fābulam mirābilem tibi referre volo.

Abhīnc duās hebdomadās valdē dolēbam. Magister īrācundus semper crūdeliter mē reprehendēbat, quia cōtīdiē serō ad ludum adveniēbam. Ad tempus advenīre nōn poteram quod horolōgium nōn habēbam. Necesse erat horolōgium comparāre.

Ego domō discēssī Nōnīs Septembribus et primum ad Circum Maximum īvī. Neque equī neque aurīgae in Circō erant quod diēs feriātus erat. In Circō Erasmō occurrī. Erasmus est amīcus meus, quī est minimus elephantus.



“Salvē, Erasme!” dīxī.

“Salvē, Alberte!” respondit Erasmus

“Habēsne horolōgium?” rogāvī.

“Minimē,” respondit Erasmus, “horolōgium nōn habeō. Sed, thorācem minimum habeō!”

“Ēheu!” ego respondi. “Nōn possum thorācem tuum gerere! Valē, Erasme!”

Ego trīstis ē Circō exīvī. Deinde ad popīnam īvī. In popīnā erat magnus clāmor convīvārum, quod diēs feriātus erat. Tamen, etiam in popīnā Benedictō occurrī. Benedictus est amīcus meus, quī est bubō benignus.

“Salvē, Benedicte!” dīxī.

“Salvē, Alberte!” respondit Benedictus.

“Habēsne horolōgium?” rogāvī.



“Minimē,” respondit Benedictus, “horolōgium nōn habeō. Sed, bracchās Genuēnsēs habeō!”

“Ēheu!” ego respondi. “Nōn possum bracchās Genuēnsēs tuās gerere! Valē, Benedicte!”

Ego trīstior ē popīnā exīvī et domum redīvī, quia advesperāscēbat. Cum domum advēnī, ego mātrī meae occurī.

“Salvē, Alberte!” dīxit.

“Salvē, māter,” ego miser respondi.

“Quā dē causā tū dolēs, mī fili?” mē rogāvit.

“Doleō,” respondi, “quod magister semper mē reprehendit. Cōtīdiē ad ludum serō adveniō, quod horolōgium nōn habeō.”



“Nolī dolēre, carissimē,” respondit māter. “Donum tibi habeō.”

Donum ā mātre accēpī quod statim aperuī. Erat horolōgium violāceum! Gaudēbam, quod Corvīs Baltimorēnsibus faveō. “Plūrimās grātiās tibi ago, māter!” exclāmāvī. Postrīdiē nōn serō ad ludum advēnī, et magister mē laudāvit. Nunc semper gaudeō.

Vidēre tē, Lucrētī, cupiō. Venī mox Baltimōram. Et scrībe, sīs, quam saepissimē. Fac ut valeās. Etiam, valē!